Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38125
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek



perfectae actionis; Sed ne hae ab inuicem uale
ant dissolui. habeat sacerdos in rationali duas
catenulas ex auro purissimo. Id est continuationem
castae et non fictae dilectionis cordi suo firmiter
adfixam. quae numquam manus et linguam illius
ab aequitate puri sensus dissentire permittat,
Et bene duas. ut et in his quae ad diuinae cultum ser
uitutis. et in eis quae ad fraternae subsidium necessi
tatis pertinent. rite ornatus incedat. Et quidem
ante opus caritatis per catenulas exprimitur aureas.
quia sicut catenula ex plurimis auri uirgulis una
contexitur. Ita caritas ex multifaria uirtutum opera
tione perficitur. Quas profecto uirgulas exponens
apostolus ait. Caritas patiens est. benigna est. caritas
non emulatur. non agit perperam. non inflatur. non est
ambitiosa. non quaerit quae sua sunt. non irritatur. non
cogitat malum. non gaudet super iniquitatem. con gau
det autem ueritati. Omnia suffert. omnia credit. omnia
sperat. omnia sustinet; Habeat et anulos aureos
equibus eadem catenae pendeant. Id est iugem memo
riam perpetuae et numquam finiendae claritatis in
caelesti patria. Ex qua solum memoria fieri consu
euit. ut continua nobis possint uincula caritatis
manere. Habeat duos uncinos superhumeralis